



**X**istus Auguste natus et educatus est. Ibi cum prima artiū fundamenta feliciter iecisset, se ad academiam Basiliensem contulit, & ibidem artibus & linguis operam dedit. In ijs etiam adeò profecit, ut omnium acclamatione 1536 artiū et philosophiæ Magister crearetur. Accedebat & uitæ innocētia, & in rebus agendis dexteritas. Itaq; ab eius loci magistratu scholæ minoris urbis præfetus, postea etiam in numerum Professorum Academiæ cooptatus fuit. Eas functiones is tanta eruditione & diligentia peregit, ut ob uirtutes omnibus doctis innotesceret. In primis uero in Poësi exercitatus uarias Comoëdias, de Iuditha, Susanna, Iosepho, & alias huiusmodi scripsit, & Basileæ publicè egit. Hoc cum Augustana respub. cognouisset, eum ad se in patriam reuocauit, & liberali stipendio ornatum suæ scholæ præfecit, ut rem literariam iuuaret, & iuuentutem erudiret. Id quod ipse magna laude præstítit, quod uel ipse oculatus testis affirmare ausim, qui anno 1540, adolescens adhuc, ipsum Augustæ magna discipulorum frequētia per aliquot menses optimos authores explicantem audiuerim, atq; summa humanitate ab eo suscepimus fuerim, donec postea eius opera Mecœnatem Cæsarem Delphinum Phylicum & Medicum doctissimum Italum natus, cum eo Ingolstadium, & inde Viennam Austrię profectus fuerim. Scripsit Xistus præter Comoëdias commētarios doctissimos in Ciceronis libros de Officijs, Amicitia & Senectute, Natura Deorum, & alios huiusmodi. Concordantias quoq; sacrarum literarum Græcas collegit, & publicauit. Quin etiam ipse Vuolfgangi Musculi in Græcis literis præceptor extitit, & eius linguae usum breui docuit. Itaq; factum ut inter doctos uiros magnum sibi nomen comparari. Tandem is anno circiter 1550 multorum desiderio obiit, & in patria honeste sepultus fuit. Con. Geff. Anon.